ALLOQUIUM
AD
LECTOREM.

SCias, Erudite Lector, Auctorem in Philoſophica hac Diſſertatione non id agere ut verborum lenociniis, & oratione calamiſtratâ te captet. Non ille in elegantiis undique conquirendis, non in concinnandis periodis navavit operam. Verùm ſicut non in amœnis Oratorum hortis, in ſuaveolentibus roſetis; ità nec in horridis Scholaſticorum dumetis, inter vepres & ſentes ambulabis. Nulla hîc barbara Monachorum Vocabula, nullos aut pauciſſimos *Artis* (ut vocant) *terminos* invenies; nullis denique Sophiſmatum retibus illaqueaberis. Philoſophus noſter non adeò prolixam alit barbam, ut eum ab omni elegantiâ abhorruiſſe, nedum ut æſtimationem à neglectu & ſqualore aucupari dixeris; licèt nec ita comptam nitidamve,